

& cum dignitate ac splendore conjuncti. Secundo loco patet quoque differentia specifica ex diversis quæ opponuntur liberalitati & magnificentiæ, vitiis. Qui enim contra liberalitatem in defectu peccat, avarus audit, qui in excessu, prodigus vocatur; sed qui apparatu rerum ad magnificentiam necessariarum abundans, nihilominus nec privati nec publici splendoris in erogandis sumptibus rationem habet, is peculiari vocabulo fordidus appellatur, quemadmodum contra qui citra approbationem virorum prudentum pecuniam effundit, luxui deditus esse perhibetur. Denique tertio alius finis propositus est liberali, & alius magnifico. Ille respicit utilitatem hominis privati, hic vero decorem totius reipublicæ, cui honorificum, si in ea conspiciuntur structuræ sumptuosæ, aliaque pretiosa ad necessitatem & ornatum civitatis pertinentia, quæ a peregrinatoribus observari, & monumentis annalium commendari atque celebrari solent. Ex quibus utique apparet, cum non solum secundum magis & minus, sed etiam aliis rationibus inter se differant, magnificentiam esse specie distinctam virtutem a liberalitate.

§. VI.

Atque hæc ipsa liberalitas, in qua in præfens occupati sumus, secundum Aristotelem *Lib. IV. Nicomach. cap. I.* pro objecto, quod moderatur, habet τὰ χρήματα, i. e. pecunias, opes & facultates

Objectū liberalitatis sunt τὰ χρήματα.

B

cultates